



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

6 V. aliquos damnatos ab inferno liberauerit

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

pro peccato totius humane nature, quod à primoparente in omnes originaliter deuenit: ut dicitur Roman. 5. Cuius quidem peccati pena est mors corporalis, & exclusio à vitæ gloria, (ut patet ex his quæ dicuntur Genes. 2. & 3.) nam Deus hominem de paradiso post peccatum eiecit, cui ante peccatum mortem fuerat comminatus, si peccaret. Et ideo Christus descendens ad inferos, virtute suæ passionis ab hoc reatu Sanctos absoluit, quo erant à vitæ gloria exclusi, ut possent Deum per essentiam videre, in quo consistit perfecta hominis beatitudo, ut in secunda parte dictum est. Per hoc autem Sancti Patres detinebantur in inferno, quod eis ad vitam gloria, propter peccatum primiparentis, aditus non patebat. Et sic Christus descendens ad inferos sanctos Patres ab inferis liberavit. Et hoc est quod dicitur Zachar. 9. Tu vero in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Et Colos. 2. dicitur, quod expolians principatus & potestates, scilicet infernales, auferendo Abraham, Isaac & Iacob, & ceteros iustos, traduxit eos id est, longe ab hoc regno tenebrarum ad calum duxit, ut glossa ibidem dicit.

P. 2. q. 3. a. 8.

glo. int. & ord. simul.

Loco citato in argum.

Est Epist. 99. ante me. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus ibi loquitur contra quosdam qui estimabant antiquos iustos ante aduentum Christi in inferno doloribus penarum fuisse subiectos. Unde patrum ante verba inducta premitit dicens. Addunt quidam hoc beneficium antiquis etiam Sanctis fuisse concessum, ut Dominus, cum in infernum venisset, à doloribus soluerentur, sed quoniam modo intelligatur Abraham, in cuius sinum etiam pauper ille susceptus est, in illis fuisse doloribus, ego quidem non video. Et ideo cum postea subdit, se nondum inuenisse quid descensus Christi ad inferos, antiquis iustis contulerit, intelligendum est, quantum ad absolutionem à doloribus penarum: contulit tamen eis quantum ad adeptionem gloriæ: & per consequens soluit eorum dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriæ. Ex cuius tamen se magnum gaudium habebant: secundum illud Ioan. 8. Abraham pater vester exultauit, ut videret diem meum. Et ideo subdit: A quibus eum secundum beatificationem presentiam suæ diuinitatis, nunquam video recessisse: in quantum scilicet, ante aduentum Christi erant beati in se, licet nondum essent perfecte beati in re.

Ad secundum dicendum, quod sancti Patres dum adhuc viuerent, liberati fuerunt per fidem Christi ab omni peccato tam originali, quam actuali: & à reatu penæ actualium peccatorum: non tamen à reatu penæ originalis peccati, per quem excluderetur à gloria, nondum soluto pretio redemptionis humane. Sicut etiam nunc fideles Christi liberantur per baptismum à reatu actualium peccatorum: & à reatu originalis quantum ad exclusionem à gloria: remanent tamen adhuc obligati reatu originalis peccati, quantum ad necessitatem corporaliter moriendi, quia renouantur secundum spiritum, sed non secundum carnem: secundum illud Rom. 8. Corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus vero viuus propter iustificationem.

Ad tertium dicendum, quod statim Christo mortem patiente, anima eius ad infernum descendit, & suæ passionis fructum exhibuit Sanctis in inferno detentis: quamuis ex loco non exierint, Christo apud inferos commorante, quia ipsa Christi presentia pertinebat ad cumulum gloriæ.

COMMENTARIUS.

D. Thom.

Sententia D. Tho. in hoc articulo, & litera eius est clara ex ijs quæ in proxima disputatione tractata sunt. Solū in solutione ad 3. potest desiderari expositio illorum verborum D. Thom. Statim Christo mortem patiente, anima eius ad infernum descendit, & suæ passionis fructum exhibuit Sanctis in inferno detentis. Loquitur enim de fructu passionis, non quocumque, sed de fructu æternæ beatitudinis. Hic enim maxime desiderabatur ab illis Patribus, & fere hic solus

illis deerat. Et de hoc fuerat sermo in responsione, & ratione corporis articuli. Inquiri verò potest quomodo intelligendum sit illud, statim, an scilicet in eodem instanti mortis Christi sancti Patres fuerint ab ipso illuminati. Sed de hoc postea disputabimus.

ARTICVLVS IV.

Utrum Christus aliquos damnatos ab inferno liberavit.



Dixit enim Isa. 24. Congregabitur congregatio vniuersæ fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur.

Loquitur autem ibi de damnatis, qui militiam celi adorauerant. Ergo videtur, quod etiam damnati, Christo descendente ad inferos, sint visitati, quod ad eorum liberationem videtur pertinere.

2. Præterea. Super illud Zachar. 9. Tu autem in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Dixit glossa. Tu eos liberaasti, qui tenebantur vincti carceribus, ubi nulla misericordia eos refrigerabat, quam diues ille petebat. Sed soli damnati includuntur carceribus absque misericordia: ergo Christus liberavit aliquos de inferno damnatorum.

2. Præterea. Potentia Christi non fuit minor in inferno, quam in hoc mundo: utrobique enim operatus est per potentiam suæ diuinitatis, sed in hoc mundo, de quolibet statu aliquos liberavit: ergo etiam in inferno liberavit aliquos de statu damnatorum.

Sed contra est quod dicitur Osee. 12. Ero mors tua o mors morfus tuus ero in inferno: glo. Electos educendo, reprobos ibidem relinquendo. Sed soli reprobi sunt in inferno damnatorum. Ergo per descensum Christi ad inferos, sunt aliqui de inferno damnatorum liberati.

Respondetur dicendum, quod (sicut supra dictum est) Christus descendens ad inferos, operatus est in virtute suæ passionis: Et ideo eius descensus ad inferos, illis solis liberationis contulit fructum, qui fuerunt passioni Christi coniuncti per fidem charitate formatam, per quam peccata tolluntur. Illi autem qui erant in inferno damnatorum, aut penitus fidem passionis Christi non habuerant sicut infideles: aut si fidem habuerant, nullam conformitatem habebant ad charitatem Christi patientis. Unde nec à peccatis suis erant mundati. Et propter hoc descensus Christi ad inferos non contulit eis liberationem à reatu penæ infernalis.

Ad primum ergo dicendum quod Christo descendente ad inferos, omnes qui erant in quacunque parte inferni, sunt aliquo modo visitati: sed quidam ad suam consolationem, & liberationem, quidam autem ad suam confutationem, & confusionem, sicut damnati. Unde ibidem subditur. Et erubescet Luna & confundetur sol, & c. Potest etiam referri ad visitationem, qua visitabuntur in die iudicii: non ut liberentur, sed ut amplius condemnentur: secundum illud Sophon. 1. visitabo super viros defixos in sceleribus suis.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur in glo. Unde nulla misericordia eos refrigerabat, intelligendum est quantum ad refrigerium perfectæ liberationis: quia sancti Patres ab illis inferni carceribus ante Christi aduentum non poterant liberari.

Ad tertium dicendum, quod non fuit propter Christi impotentiam, quod non sunt aliqui liberati de quolibet statu infernali, sicut de quolibet statu mundanorum: sed propter

291. 3. d. 2. q. 2. a. 2. q. 2. & op. 3. c. 2. 4. 2.

glo. inter lib.

Art. præced. glo. inter lib.

Posita in art. 2. q. 2.

propter diuersam vitiorumque conditionem. Nam homines A
quandiu viuunt possunt ad fidem & charitatem conuerti:
quia in hac vita non sunt homines confirmati in bono, vel ma-
lo, sicut post exitum ab hac vita.

ARTICVLVS VII.

Virum pueri, qui cum originali peccato decesserant,
fuerint a Christo liberati.

COMMENTARIVS.

Doctrina D. Thomæ in hoc articulo communis
est, & clara, quamuis Medina hic quatuor con-
tra illa argumenta obijciat, quæ cuiq; Theologo (vt
dicit) possunt facessere negotium. Sed quarta diffi-
cultas, quæ ab eo tangitur, ad materiam pertinet de
suffragijs: & quod hoc loco necessarium videtur,
attingemus postea. Alia vero tria argumenta sunt
eadem omnino, quæ D. Thomas proposuit, quæ
ipse eisdem verbis repetit, & soluit nulla expositio-
ne addita, quia reuera in D. Thom. sunt adeo perspi-
cua, vt nulla indigeant.

Solum circa testimonium illud Isaia 24. (quod in
solutione primi argumenti exponitur) Congregabun-
tur congregatione vnus fascis in lacum, & claudentur ibi in
carnere, & post multos dies visitabuntur, aduertendū est,
hoc testimonio vltimū fuisse Origenem ad confir-
mandum suum errorem, inferni penas aliquando
finitum iri. Sed ex toto discursu illius capitis, & ex
verbis consequentibus constat Prophetam non lo-
qui de visitatione ad consolandum, seu liberandum
à pena: sed ad puniendos, seu confundendos pecca-
tores. Nam de hac paulo ante dixerat: Visitauit Domi-
nus super militiam cali. Vbi Hieronymus, visitauit (in-
quit) egrotantem militiam, secundum illud, Visitabo
in virga peccata eorum, & in flagello iniquitates eorum. Et
post alia verba subiungit: Erubescet luna, confundetur
sol. Quæ sunt verba vindictæ, & iræ, vt rectè hic
notauit D. Thomas: non potest ergo ex hoc loco col-
ligi liberatio aliqua damnatorum. Vnde (si expona-
tur de descensu Christi ad inferos) intelligitur visitaf-
se damnatos, eos conuincendo, & corripiendo. Et
hæc est prima expositio D. Thomæ. Sed non est lite-
ralis, quia neq; cum antecedentibus, & consequenti-
bus coheret, neque in toto eo capite fit mentio de
hoc mysterio. Magis ergo ad rem videtur secūda ex-
positio, vt ibi fit sermo de visitatione, quæ fiet in die
iudicii, vbi Christus quasi de nouo damnatos con-
demnabit. In toto enim illo capite de vltima mundi
consummatione sermo est.

Solum est difficultas in ipso contextu verborum.
Præmiserat enim Propheta: Et erit in die illa, visitauit,
Dominus super militiam cali, quæ dies intelligitur esse
dies iudicii, vt Hieronymus & omnes exponunt.
Vnde in illo intelligitur futurum esse, quod statim
subditur: Et congregabuntur congregatione vnus fascis in
lacum, & claudentur in carnere. Ergo illa visitatio, quæ
post multos dies futura dicitur, non videtur posse
intelligi de visitatione futura in die iudicii: sed mul-
to tempore post illam. Propterea Adamus, & alij
consentient illis verbis, Et post multos dies visitabuntur, si-
gnificari potius perpetuitatem eiusdem pænæ: ac si
Propheta diceret, visitabit Dominus peccatores con-
demnando illos, & post multos dies, id est, post quod-
cunque tempus, ac semper visitabit, quia semper puni-
et. Et hæc est satis commoda expositio. Potest au-
tem retineri expositio D. Thom. dicendo, in verbis
illis, Post multos dies visitabuntur, nō addi visitationem
à priori distinctam, sed explicari eam futuram esse
post multos dies, statim enim subditur. Erubescet lu-
na, & confundetur sol, quæ proprie ad diem iudicii
pertinent, vt Hieronymus exposuit. Cyrillus verò
hæc omnia multo aliter explicat, scilicet de idolo-
latria per Christi aduentum tollenda, & de pote-
state Dæmonum per Christum ablata, ipsis virtute
eius quasi in custodiam, & carcerem conclusis. Quæ
expositio in illo videri potest, late enim eam persē-
quitur.

Fr. Suarez. tom. 2.



Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod
pueri qui cum originali peccato decesserant,
fuerint per descensum Christi liberati ab
inferno. Non enim tenebantur in inferno,
nisi pro peccato originali, sicut & sancti

Patres. Sed sancti Patres sunt ab inferno liberati per Chri-
stum, vt supra dictum est. Ergo & pueri similiter per Chri-
stum sunt ab inferno liberati.

2. Præterea. Apostolus dicit Romanor. 5. Si vnus delicto
multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gra-
tia vnus hominis Iesu Christi in plures abundauit. Sed pro-
pter peccatum primi parentis, pueri cum solo originali pecca-
to decedentes, in inferno detinentur. Ergo multo magis per
gratiam Christi sunt ab inferno liberati.

3. Præterea. Sicut baptismus operatur in virtute passio-
nis Christi, ita & descensus eius ad inferos, vt ex dictis patet.
Sed pueri per baptismum liberantur à peccato originali, & ab
inferno. Ergo similiter liberati sunt per descensum Christi ad
inferos.

C Sed contra est, quod Apostolus dicit Roman. 3. quod Deus
proposuit Christum propitiatorem per fidem in sanguine eius.
Sed pueri, qui cum solo peccato originali decesserant, nullo
modo fuerant participes fidei Christi. Ergo non perceperunt
fructum propitiationis Christi, vt per ipsum ab inferno libe-
rarentur.

Respondetur dicendum, quod (sicut supra dictum est) descen-
sus Christi ad inferos, in illis solus effectus liberationis habuit,
qui per fidem & charitatem passioni Christi coniungeban-
tur, in cuius virtute descensus Christi ad inferos liberatus
erat. Pueri autem, qui cum originali peccato decesserant, nullo
modo fuerant coniuncti passioni Christi per fidem, & dilectio-
nem. Neque enim fidem propriam habere poterant, quia
non habuerant vsum liberi arbitrij: neque per fidem paren-
tum, aut per aliquod fidei sacramentum fuerant à peccato
originali mundati. Et ideo descensus Christi ad inferos huius-
modi pueros nō liberauit ab inferno. Et præterea sancti Patres
ab inferno sunt liberati, per hoc quod sunt ad gloriam diuinam
visionis admissi, ad quam nullus potest peruenire nisi per gra-
tiam secundum illud Romanor. sexto. Gratia Dei vita
æterna. Cum igitur pueri cum originali peccato desen-
dentes, gratiam non habuerint, non fuerunt ab inferno libe-
rati.

Ad primum ergo dicendum, quod sancti Patres, etsi ad-
huc tenerentur astricti reatu originalis peccati, in quan-
tum respicit humanam naturam, tamen liberati erant
per fidem Christi ab omni macula peccati: & ideo capaces
erant illius liberationis, quam Christus attulit descendens
ad inferos. Sed hoc de pueris dici non potest, vt ex supra dictis
patet.

Ad secundum dicendum, quod cum Apostolus dicit, quod
Gratia Dei in plures abundauit, ly plures, non est accipiendum
comparatiue: quasi plures numero sint saluati per gratiam
Christi, quam damnati per peccatum Adæ, sed absolute: ac si
diceret, quod gratia vnus Christi abundauit in multos, sicut
& peccatum vnus Adæ peruenit ad multos. Sed sicut pecca-
tum Adæ ad eorum peruenit, qui per seminalem ratio-
nem carnaliter ab eo descenderunt, ita gratia Christi ad illos
tantum peruenit, qui spiritali regeneratione, eius membra
sunt facti, quod non competit pueris descendens cum ori-
ginali peccato.

Ad tertium dicendum, quod baptismus adhibetur ho-
minibus in hac vita, in qua homo potest transmutari de
culpa in gratiam: sed descensus Christi ad inferos exhi-